

**RESPONSUM PONTIFICIAE COMMISSIONIS
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO**

D. Utrum verbo «Religiosus» de quo in can. 684 § 3 intelligatur tantum religiosus a votis perpetuis an etiam religiosus a votis temporariis.

R. *Negative ad primum, affirmative ad secundum*¹

Quae ut melius explanetur responsio, rationes ipsius quaestionis, ut patet, sunt examinandae. Rationes autem eorum qui hanc sicut et alias Commissioni posuerunt quaestiones non publici iuris fiunt, at prudenter tamen ex ipsa responsione saepius supponi possunt.

Transitus in vita monastica unica norma faciliter regulari non potest. Alia sunt monasteria sui iuris plene independentia; alia sunt in Congregatione monastica simul coadunata, quae eamdem sequuntur Regulam, uti v. gr. Sancti Benedicti, et easdem insuper in Congregatione monastica tenent constitutiones seu statuta; alia, autem, etsi congregata, ha-

¹ AAS 79 (1987) 1249. Responsa priora de certis punctis iuris vitae consecratae habentur promulgata in AAS., 77 (1985) 771; 78 (1986) 1323-1324. Quae etiam in *Communicationes* inveniuntur: 17 (1985) 262; 18 (1988) 408-409. Commentaria de his responsis habentur in *Periodica* 74 (1985) 609-628; 76 (1987) 183-188; 413-446; 77 (1988) 149-162.

bent statuta communia sed generaliora, eandem non tenent vitam ob diversas consuetudines et varia directoria propria. Inter monialium autem monasteria et domos saepius, si praesertim sunt alicuius secundi Mendicantium Ordinis, vigent et maior inter domos similitudo, immo et eadem statuta. Unde apud illas moniales facilius fit transitus cum nimia non habeatur in vitae ratione diversitas.

Quo in casu facilius etiam fit professi temporarii de una ad aliam domum transitus. Unde intelligitur quaestio: «Estne talis transitus professi etiam temporarii, vi can. 684 § 3, possibilis? Responsio Commissionis est *affirmativa*, et quidem ratione verbi «Religiosus» hac in paragrapho adhibiti. Unde responsio ex eo intelligitur quod, ubi legislator non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quaestio videtur technice soluta ratione verbi «Religiosus». Qui religiosus, si non distinguitur, professus esse potest sive temporarius, sive perpetuus.

Pro nonnullis haec Responsio difficultates praebet, quae sunt nunc considerandae. Res, uti dicunt, non est verbi tantum «Religiosus», nam e contextu canonis 684, ratione primae paragraphi, in hoc canone de solo sodali a votis perpetuis agitur. Quodsi in tertia paragrapho fuisset rei mutatio, ea erat significanda. In canone autem redigendo nulla est mutatio introducta. Unde, applicando c. 17, verba canonis sunt intelligenda secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam.

Contextus in canone videtur agere de sodali a votis perpetuis. Sic expresse in § 1^a et implicite in § 2^a. Qui sodalis, si idem est in paragrapho prima et secunda, cur non et idem esset in tertia?

Quinimmo ex ipso textu paragraphi tertiae exsurgunt difficultates ad interpretationem intelligendam;

nam, uti dicit textus: «nova professio non requiritur». Quae professio in eodem instituto vel foederatione vel confederatione de se, uti videtur, auditur perpetua. Nam si temporaria est, necessario repetitur; secus sodalis non iam est religiosus.

Sed si et de temporaria professione agatur, exurgit nova difficultas. Quinam superior ad renovandam professionem religiosum transeuntem admittet? Videretur dicendum hanc daturum esse licentiam superiorem monasterii quod religiosus relinquere velit. Estne admittendum superiorem intelligi superiorem novi monasterii, in quo ad probationem degit religiosus? Potestne hanc renovationem permittere ille superior, cum ipse sodalis nondum sit professus temporarius in monasterio in quo degit et ad quod transire velit?

Unde verba ipsa: «nova professio non requiritur» potius agunt de professione perpetua in monasterio originis peracta, quae non repetenda est in alio monasterio eiusdem regulae vel instituti, foederationis vel confoederationis, nisi ius proprium aliud statuatur.

Quid nobis dicendum est de hac non levi difficultate in casu transitus professi temporarii, ut melius Commissionis responsum intelligatur et recte, servato etiam iure proprio, applicetur?

Quaestio de transitu monachorum et monialium non est facilis. Etsi eiusdem sunt instituti vel foederationis, non eadem est vita in una vel in alia communitate, quae necessario proprias habet consuetudines et traditiones. Haec elementa non leviter sunt consideranda. Ponderanda est semper vitae stabilitas in monasterio servanda, in quo fit professio monastica. Si autem habetur confoederatio, uti v.g. benedictina, alia est professio in monasterio benedictino, camaldulensi, cisterciensi. Qua de causa, quae in schemate anni 1977 erant, a monacis fuerunt expetita, non ab

omnibus tamen probata, praesertim ob varietatem vitae monasticae; quae, si eiusdem regulae, non est eiusdem traditionis, immo alius est Statuti, ut vita carthusiana. Textus canonis post necessariam deliberationem sic sonabat:

§ 1, 1º Transitus a monasterio ad aliud eiusdem familiae monasticae vel regulae fieri potest de consensu utriusque Moderatoris cum voto deliberativo capituli monasterii recipientis, salvis semper Constitutionibus.

2º Professio tamen monastica non iteratur, nisi aliud in Constitutionibus expresse caveatur².

Ut res melius perspiciatur, quaeri primo potest de mente commissionis Codici revisendo circa transitum professi temporarii. In genere mens eius erat ut non admitteretur simplex transitus, sed religiosus a votis temporariis ab iisdem dispensationem acciperet ut liberius, nullo vinculo ligatus, de propria vocatione discerneret.

Immo mens Commissionis, etiam ultimae, quae hanc paravit Codicis partem, transitui non favorabilis erat. Quod etiam de professo perpetuo insinuatur, cum in c. 684 § 2 dicitur regressum fieri in pristinum institutum, «nisi indultum saecularizationis obtinuerit».

Immo urgent quidam de hac re difficultatem et ad acta Commissionis appellant. Etsi iam strictiorem de sola perpetua professione sententiam e textu et contextu canonis, immo et e sensu professionis monasticae, quae, si perpetua, non est repetenda, stabi-

² Schema canonum anni 1977, can. 104. Qui canon erat in secunda parte huius schematis sub titulo *De Institutis monasticis*, art. 1, *De Monachis*.

liant, etiam ad textus canonis 684 § 3 redactionem considerandam nos ducunt. Iter huius redactionis in *Communicationes* exponitur³.

Agendo de parando canone 684 § 1 haec a quarto consultore dicebantur:

«Vitandum est ne plena detur certitudo professo qui in alio instituto non bene perfecit probationem, regrediendi pleno iure in primum institutum. Quod criterium maxime applicandum esse videtur in § 3 huius canonis quae de professis a votis temporariis agit»⁴.

In canone qui parabatur, erat tunc paragraphus tertia quae de transitu professi temporarii agebat. Qui paragraphi textus erat sequens:

«Qui tamen momento transitus professus est a votis temporariis ad professionem perpetuam in novo instituto admitti nequit nisi, iterum peracto novitiatu et praemissa professione temporaria trium saltem annorum. Si autem sodalis hanc professionem emittere renuat, ad saeculum redeat, dispensatus a iure a votis temporariis, si quae habeat»⁵.

Quae tertia paragraphus postea est suppressa! Cum enim de supprimenda hac tertia paragrapho agebatur, praeses haec membris coetus habuit verba:

«Estne supprimendus textus de professis temporariis

³ *Comm.*, 13 (1981) 326-328.

⁴ Verba italice in relatione commissionis typis edita exprimuntur sequenti modo: «Si eviti di dare la sicurezza che, se non va bene la nuova esperienza il professo può ritornare con pieni diritti al primo istituto. Questo criterio dovrebbe essere applicato nel § 3 che riguarda i professori con voti temporari». *Comm.*, 13 (1981) 327.

⁵ *Comm.*, 13 (1981) 326.

restringendo transitum ad solos professos perpetuos? Quo in casu in § 1^a dicendum est: «Sodalis a votis perpetuis»⁶.

Et paragraphus tertia de professis temporariis est suppressa. Adiecta sunt verba in § 1^a «Sodalis a votis perpetuis».

Suppressa sic paragrapho tertia, proposuit prae-ses ut adderetur novus textus ut paragraphus tertia diceret:

«Transire ad aliud monasterium eiusdem Ordinis novam professionem non requirit»⁷.

Qui textus membris omnibus coetus placuit. In canone, igitur, post superius relata, uti patet, de solis agebatur professis perpetuis⁸.

Responsio Commissionis Codici interpretando opponitur etiam sententiae auctorum qui antea huic canoni studuerunt, inter quos numerantur Andres⁹, Dortel-Claudot¹⁰, Gambari¹¹, Ghirlanda¹², Khoury¹³,

⁶ *Comm.*, 13 (1981) 328.

⁷ *Comm.*, 13 (1981) 328.

⁸ Quae sententia fuit nostra in *Periodica*, 73 (1984) 541, n. 46.

⁹ D.J. ANDRES CMF., *Il diritto dei religiosi*, Roma, 1984, 609 p. Vide p. 469 n. 840.

¹⁰ M. DORTEL-CLAUDOT S.I., *De Institutis vitae consecratae*. Ad usum studentium. Romae, 1986, 216 p. Vide p. 202. Remittit ad responsa nostra in *Periodica* 1984, p. 541, n. 46.

¹¹ E. GAMBARI SMM., *I Religiosi nel Codice*, Milano, 1986, 445 p. Vide p. 342. Notatu digna est eius affirmatio: «Le norme valgono per tutti gli Istituti di diritto pontificio o diocesano. Esse regolano il passaggio di un religioso di voti perpetui: tutto il contesto del canone lo suppone, prevedendo la professione perpetua alla fine della prova e ignorando l'ipotesi della scadenza dei voti durante questa».

¹² G. GHIRLANDA S.I., *La problematica della separazione del*

Montan¹⁴, Primitshofer¹⁵. At duo erant auctores qui contrariam amplectebantur sententiam, quin tamen eius afferrent probationem, nempe Calabrese¹⁶ et Mc Dermot¹⁷.

Est autem unus auctor qui hanc interpretationem authenticam praecurrebat, argumentum assumendo de structura parallela canonis 689 § 3 et de sensu largiori verbi «Religiosus» in hoc ultimo canone. Comparatio tamen claudicat, nam in canone 689 § 3, verbum «Religiosus» sequentibus specificatur verbis:

Religioso dal proprio istituto, in *Il nuovo Diritto dei Religiosi*, Roma, 1984, 254 p. Vide p. 162: *b*, *Soggetto del passaggio*.

¹³ J. KHOURY, *Vie consacrée*, Rome, 1984, 332 p. Vide p. 285 ubi haec dicit auctor: «Le canon (684) ne considère pas le cas d'un profès de vœux temporaires; probablement parce que ce passage pourrait avoir lieu à l'expiration des vœux et ne requiert donc pas l'intervention bilatérale des intéressés».

¹⁴ A. MONTAN CSI., *Gli istituti di vita consacrata e le società di vita apostolica*. Normativa, in *La vita consacrata*, Bologna, 1983, 201 p. Vide p. 184. Dicit auctor: «Come si può notare, la normativa fa riferimento solo ai religiosi di voti perpetui; per i religiosi di voti temporanei si può provvedere diversamente».

¹⁵ B. PRIMETSHOFER CSSR., in *Handbuch des katholischen Kirchenrechts*, hrsg. von J. Listl, H. Müller, H. Schmitz, Regensburg, 1984, p. 506.

¹⁶ A. CALABRESE CMF., *Gli Istituti religiosi*, Roma, 1986, p. 415. Vide p. 323 ubi legitur: «La norma che regola il passaggio di un religioso da un monastero "sui iuris" ad un altro pure "sui iuris" dello stesso istituto o federazione o confederazione, non fa distinzione tra religiosi di voti perpetui e religiosi di voti temporari. Pertanto, quanto sopra abbiamo detto si deve applicare anche nel passaggio di un professo temporaneo. In particolare, non è richiesta una nuova professione temporaria».

¹⁷ R.M. Mc DERMOTT S. I., *Transfer to another Institute*, in *The Code of Canon Law. A Text and Commentary*, New York-Mahwah, 1152 p. Vide p. 512, ubi legitur: «Canon 684 specifies members in perpetual profession, but this would not seem to preclude one in temporary profession».

«perdurantibus votis temporariis». Quomodo dici potest verbum «Religiosus» ex hac comparatione in canone 684 § 3 significare professum sive temporarium sive perpetuum?¹⁸

Grammaticalis videretur haec, de se, solutio, nisi fieret recta ad structuram aliorum canonum remissio, sed in aliis canonibus verba «religiosus» vel «sodalis» ulterius specificantur, vel explicite uti in c. 696 § 2 et in c. 689 § 3, vel e contextu in c. 668 § 5.

Circa ergo fundamentum huius interpretationis, quis anceps remanet post Commissionis interpretationem. Cur paragraphus tertia nunc applicatur etiam professis a votis temporariis?

Ratio, a nullo auctore hucusque allata, sequens esse potest: transitus ab uno ad aliud monasterium fieri potest in instituto unico, e. g. a domo ad domum, ubi in utraque domo una est regula, una constitutio, una traditio. Quo in casu superiores qui transeuntem admittunt sub eodem sunt superiore, maiore vel supremo. Nulla est difficultas in hoc transitu peragendo. Res tamen in commissione olim non est considerata. Mens generalis de transitu professi a votis temporariis, uti vidimus, erat diversa.

Attamen si monasteria sunt eiusdem congregationis monasticae seu foederationis, et eorum autonomia est maior, iam difficilior fit transitus cum superior generalis, immo et abbas-praesides, non pleno sensu sint superiores maiores. Standum est constitutionibus quae talem transitum forsitan praevident et moderantur.

Difficilior adhuc fit transitus a monasterio unius foederationis ad alius foederationis monasterium, etsi

¹⁸ Vide R. SOULLARD O.P., in *Vie consacrée* 57 (1985) 190 et 60 (1988) 122-123.

foederationes in confoederatione coniunctae sunt. In eo casu ius proprium est servandum, et professio, uti videtur, etiam perpetua, iteranda.

Illis attente consideratis, non facile negatur fundamentum sententiae plurimorum auctorum, ante responsionem Commissionis expressae. Iuxta textum et contextum § 3 canonis atque iuxta acta Commissionis iam edita transitus in toto canone 684 de professis tantum perpetuis considerabatur.

Hodie, post hoc recens Commissionis responsum, quomodo fiat professi temporarii transitus et quidem aptius, in iure proprio considerandus et definiendus est; hae videntur solutiones possibiles:

- a) Qui expleta professione temporaria libere egreditur, admissionem in aliud monasterium postulare potest. Standum erit normae codicis (c. 643 § 1, 3°), et nova fiet probationis via, vel in novitiatu (c. 648 § 1) vel extra illum, etsi in eodem monasterio, vi canonis 647 § 2 analogice applicati.
- b) Vel professus a votis temporariis, obtenta licentia e monasterio discendendi, probationem aliquam peraget priusquam in illud transeat monasterium. Quae absentia a domo seu a primo monasterio erit ad maximum unius anni et non ultra hoc annum (c. 665 § 1). Si autem professionis tempus expleatur, ut novitius admitti poterit, nisi alia sit norma in instituti vel foederationis statutis praevisa.
- c) Vel professus a votis temporariis indultum egrediendi obtinet vi c. 688 § 2 atque in novo monasterio probationem peragit; quae, in casu, in statutis est praevidenda; secus novitiatum peraget ad normam 648 § 1 vel canonis 647 § 2 ad casum applicati.
- d) Vel professus a votis temporariis, vi recentis responsionis Commissionis in monasterium transit ad experimentum quin professio temporaria repe-

tatur; quod tempus professionis, si plurium est annorum et transeunt tres anni in novo monasterio, ipse ad professionem perpetuam admitti poterit, nisi aliud in iure proprio iam statutum sit vel nunc statuatur.

- e) Si autem tempus professionis temporariae brevius sit et elapsum, non renovanda esse videtur professio temporaria, nisi candidatus in monasterio cooptandus rite admittatur. Secus, a votis solutus, non iam est monachus, ipse vel ad novitatum ingrediatur oportet, vel alia probatione iure proprio statuenda ad professionem novam sed temporariam in novo monasterio emittendam admittatur.

His iam solutionibus attente perpensis, melius intelligitur cur casus solvendi remaneant difficiliores, qui praeprimis autem a iure proprio considerandi et definiendi sunt.

Sunt praeterea qui non vident cur transitus professi temporarii iuxta responsionem praebeat solutionem monachis et monialibus tantum applicabilem. Cur non idem in lege pro aliis religiosis valeat? Talis ampliatio in canone 684 § 3 interpretando fieri non poterat qui de solis monachis agebat. Applicata iam paragraphus tertia canonis 684 monacho professo temporario, habeturne in Codice sic interpretato lacuna iuris circa transitum aliorum religiosorum, qui vota tantum habent temporaria? Si lacuna sit iuris, vi responsi dati, potestne fieri analogia iuris applicando, uti praevidetur, canonem 19? Sunt auctores qui huic quaesito *affirmative* respondere velint. Res tamen dubia remanet.

Ponitur ergo practica de transitu professi temporarii qui non sit monachus quaestio. Solutiones esse possunt tres:

- a. Vel professus dispensationem votorum obtinet, qui indultum egrediendi libere expetit (c. 688 § 2).
- b. Vel professus vota sua temporaria retinet sed, obtenta absentia a domo, experimentum peragit vitae in alio instituto et quidem de licentia supremi moderatoris, vi canonis 665 § 1. Supremus moderator hanc licentiam non ultra annum concedere potest, et quidem de consensu sui consilii. Quod experimentum, ut probativum sit, unius saltem anni erit. Vel professus absens, tunc in primum regreditur suum institutum vel in aliud ingreditur, cum indulto institutum egrediendi, liber a votis iuxta cann. 688 § 2, 692. Quod indultum a supremo moderatore instituti dioecesani concessum, ab Episcopo domus assignationis est confirmandum. Domus assignationis in casu est domus residentiae professi momento quo indultum est concedendum.
- c. Tertia solutio est liber professi temporarii egressus, expleto quidem professionis tempore in instituto quod relinquere velit (c. 688 § 1).

Quae tertia solutio est faciliior, si vota temporaria annualia sunt; prima autem solutio est melior, si vota temporaria sunt v. g. trium annorum, recenter quidem emissa; secunda solutio videtur prudentior, cum faciliior in proprium institutum fiat regressus. In casu talis absentiae materia votorum erit aptanda legibus instituti in quo degit religiosus qui tale in eo experimentum peragit. Quae adaptatio non semper erit facilis, praesertim si vitae in novo instituto ordo valde a modo vivendi in suo instituto consueto differat. Unde solutio praeferenda videtur semper prima.

J. BEYER S.I.